

gbz

partim ab externis partibus principibus dicatis. DIVERSA etiam applicari possunt forma, ut *embrocio. oxyrrhod. cucupb. epithemat. fomenti, emplastris, unguenti & olei, pulveribus* nonnunquam mistis. *For. l. 10. obs. 19. ol. vi. ol. ac anesh.* caput inungere jubet præcipitq; idem, ut pectinetur pectine ex ariet. corn. confecto.

APHOR. XVI.

Tandem: Symptomatibus potioribus ac urgentibus magis, succurrendum.

Innumeram ferè Symptomatum affectum hunc edere sobolem, tantamq; eorum esse varietatem, ut illorum seriem pertextere, ac numero comprehendere haud liceat; supra *aphor. 10.* ubi de signis diagnosticis egimus, dictum; quorum & præcipua ibi à nobis exposita fuerunt. Eorum verò curam omnium tradere ac proponere hic velimus; quantum ordiendum esset nobis opus; integrumq; volumè id haud caperet. Nec possunt ita delineari ac proponi, ut se sæpissimè in hoc affectu detentis offerunt. Et facile arte suâ instructus ritè Medicus, iis commoda applicare & invenire potest remedia. Quanquam verò omnium curatio à causæ sublatione dependeat; tamen interdum tam vehementia incidere solent, ut neglectâ quasi causâ, Medicus iisdem succurrere cogatur. Tristitia verò ac mœror, metusq;, quanquam præcipua hujus affectus sint symptomata; tamen aliis remediis curationem eorum haud perficere possumus, ac depulsionem moliri, quam tum antecedenti, tum continenti causæ aliisq; in præcedentibus aphorism. dicatis. Imprimis verò eo laborandum, quo omnes sensus jucundis oblectentur objectis, tristitiæq; ac mœroris causâ præcisâ, gaudium potius ac lætitiæ offeratur materia. Medicum enim non corporis tantum sed & animi quoq; curam gerere debere, *Horst. Problemat. Med. decad. 2. qu. 10.* plurimis demonstrat autorum sententiis.

VENTRICULI ac HYPOCHONDRIORUM verò FLUCTUATIONIBUS, TENSIONIBUS, RUGITIBUS, nonnunquam etiam DOLORIBUS molestissimis, in hoc malo, ac hypochondriacâ affectione non infrequentibus, familiaribusq; ferè, ea quæ in præcedentibus proposuimus, tum externa, tum interna adhibeantur remedia. VOMITUS autem, qui nec ipsi in affectibus istis rari esse soleat, quorumq; causas supra *aph. 11.* dedimus, & eorum aliquot miras annotârunt historias, *Gail.*